



R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Dialecticam, siue Scientiam de Veritate, in decem libros
distributam

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

Cap. I. Qvatenus Dialectica docendo, & vtendo obiectum suum
repræsentet?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95210](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95210)

habito subiectum logicæ facit ; atquiens ita acceptum videlicet sine respectu ad rationis opus , cui subfit, nihilominus scientiæ, non reali, sed rationali velut proprium subiectum adscribere, ab omni profus ratione alienum est, & non solum à vero, sed etiã ab omni eius similitudine multum abscedit: sin autẽ ea sententia ens secundo intentionaliter sumptum, & provt obiectum alicuius secundæ intentionis dialecticæ subiicit , ac velut genus præstituit, nihil noui affert præter solas voces, & earum abusum omnes enim ferẽ auctores ens hoc posteriori modo usurpatum dialecticæ subiiciunt, eiusque genus esse velut exploratum supponunt: Non aliud tamen subiectum illud vocant ab eo quod dialecticis regulis principaliter operabile censent, & quidem iure optimo, vt visionis beatæ, Deique per eam visi exemplo, iterum, iterumque explicuimus. Postrema sententia est Zabarella lib. 1. de natura logicæ cap. 17. nullum esse subiectum dialecticæ propriè sumptum.

51 Hæ sunt sententiæ, quas inuenire potui de obiecto attributionis, ac sine dialecticæ: eas tot fuisse non demitor, cum de sine hominis, quo inter homines nihil exploratius deberet esse, ducentas tamen & octoginta octo sectas distinxerit Varro apud Augustinum de ciuitate Dei lib. 19. cap. 1. Porro autem quas hactenus suo ordine retuli, eas etiam viritum refellere prolixum, ac superuacaneum esset; proinde satis habeo illas veluti transitu quodam perstringere, ac summa sequi fastigia rerum. Imprimis ergo, quæ adduci solent testimonia Aristotelis, Platonis, Augustini, Clementis, & aliorum pro prædictis sententiis parum eis fauere, vel hoc ipso cap. ostensum manet. Adhæc, omnes rationes, quibus nostra de obiecto attributionis dialecticæ opinio probata est, quæ quam efficaces sunt aliorum iudicio relinquo, eæ nuper memoratas sententias improbant: Aliæ etiam rationes hoc cap. aduersus eas sunt insinuatæ. Rursus quas recensuimus opiniones aliæ assumunt relationem attributorum ad subiectum tam in scientiis practicis, quam speculatiuis esse dumtaxat arbitrariam, siue ex instituto, plerique verò in vtrisque tantum naturalem, & à cuiusvis arbitrio independentem: Harum etiam plures eam esse in esse cognito, siue cognitionum omnium ad aliquam vltimam potissime intentam, non pauca verò in esse solius rei: præterea aliquæ ad subiectum exigunt, vt sit magis perfectum obiectum totius scientiæ, aliæ vt sit magis vnum, ac simplex, contra verò multæ vt sit magis commune vniuersaliter, neque non etiam vt integram latitudinem habeat, eam qua cuncta scientiæ obiecta coërceat. Quædam sola subiecta partialia, nonnullæ verò solas rationes formales rationem subiecti totalis obtinere contendunt. At hæc omnia, quæ memoratæ sententiæ assumunt, quibusque potissimum innituntur procul vero esse ostendimus in met. citato lib. 8. tra. 5. cap. 5. & 6 qui ergo fieri potest, vt non falsa sint inde deriuata dogmata, circa obiectum attributionis logicæ.

52 Vltius opinionum quas meminimus aliæ plura assignant obiecta attributionis cuiuslibet scientiæ, quod locis nuper citatis latè confutauimus: Aliæ verò, quæ est Zabarella, vnum quidem obiectum attributionis aliquibus largitur, nempe logicæ, & reliquis scientiis practicis: hoc autem falsum esse constat: Primò quia logica, qualis qualis facultas sit, & siue ars, siue scientia, vna tamen est, aliquod igitur subiectum habet, cui vnitatem suam acceptam referat: secundò quoniam logica saltem impropiè scientia est, igitur improprium aliquod subiectum respicit, cedo ergo quale sit: tertio, quia Theologia

propriè non est scientia ab Arist. definita, vt ex communi sententia docet P. Vasquez tom. 1. in primam partem disp. 4. cap. 8. & tamen suum habet obiectum attributionis, Deum videlicet, vt aduersarij non inficiantur. Quartò, artes practicæ, siue ingenuæ, siue mechanicæ, suos habent fines, in quos referuntur; dialectica ergo similiter, siue sit scientia siue non, suum habebit finem intrinsecum & immediatum, siue subiectum obiectumve attributionis vocetur, siue non; hæc enim solius verbi controuersia est, de qua parum curandum, vbi de re ipsa constat. Tandem dialectica propriè scientia est; & in loco clarebit; igitur ex hoc titulo, non est quod obiectum attributionis subiectumve sibi non vendicat. Vide Auerlam quæst. 2. log. in procemio, vbi quod logica & aliæ facultates practicæ subiectum suum habeant luce clarius esse affirmat.

Hinc argumenta pro sententia Zabarella à neotericis quibusdam obiecta facili negotio diluuntur. Primum ita habet, dialectica non est propriè scientia, cum sit facultas practica, nullum igitur habet obiectum attributionis: qua ratione artes mechanicae & illiberales obiecto attributionis propriè sumpto carent. Sed dialecticam in scientiis propriè sumptis numerandam esse tract. vlt. huius lib. constabit; idque tamen facultas practica esse censetur. Rursus quod artes practicæ prorsus illiberales adeoque inter scientias neutiquam reputatæ, nihilominus habent obiectum attributionis, multis patibus verius est, atque probabilius vt paulò supra supposuimus, quanquam ergo logica nõ esset scientia more artium practicarum, & illiberalium, ex hoc tamen obiectum attributionis ei negari haud quamquam deberet. Secundum aduersarij opinionis fundamentum sic habet: logica penes aliquos saltem actus est practica, & penes alios speculatiua: igitur vnum aliquod obiectum attributionis sibi præstitui non potest: Probatur hæc consequentia: quoniam talis finis, siue obiectum nequit esse praxis, in quam pars theoria logica non est referibilis; aliàs theoria seu speculatiua non esset: neque potest esse mera speculatio obiecti, in quam pars practica logicæ irreuocabilis est; aliàs practica neutiquam futura. Item simul praxis & non praxis, seu veritas merè speculabilis esse nequit: omnino ergo repugnat vni quoduis obiectum attributionis, in quod tota logica referatur. Sed respondeo, subiectum totius logicæ finemque præcipuum esse praxim, videlicet veritatem formalem, provt proximè exequibilem præceptis & institutis dialecticis. Pars autem speculatiua logicæ talis esse potest, respectu sui obiecti proximi & immediati, vt vt in opus dialecticæ subiectum eiusque finem exequendum remotè & mediatè destinetur: quo pacto plures cognitiones speculatiue artis medicinae v. g. propriè circa naturam corporis humani ad sanitatis executionem & praxim mediata & extrinsece referuntur.



TRACTATUS III.

De modo repræsentandi Dialecticæ.

CAPVT I.

*Quatenus Dialectica docendo & vtendo
obiectum suum repræsentet?*

Superuacaneum esset viritum referre auctores, qui logicam in docentem, & vtentem dispelcunt. Etenim

Etenim, si quendam Grucchium lib. de nomin. log. & dial. Iustum Veracem init. suæ logic. alioque paucos nullius ferè nominis excipias, ceteri omnes illam diuisionem magno consensu complectuntur. Ceterum in ea explicanda haud ad eò consentiunt. P. Vafquez tom 1. in 1. part. quæst. 1. art. 4. disput. 8. cap. 5. num. 19. & P. Hurtad. dist. 2. log. sect. 2. §. 4. & quidam alij censent, logicam docentem in eo differre ab vtente, quod hæc nihil aliud sit, quam actus & habitus aliarum scientiarum, prout diriguntur logicis præceptis; illa verò sit, quæ tradit præcepta, quibus vtantur alia facultates. Probabilis est positio, quidni enim logica præceptiua dicatur docens, cum præcipere sit docere? quidni etiam quæuis alia disciplina, quatenus imitatur logicam docentem, atque ad eius exemplar exprimitur, vocanda sit hoc ipso logica, cuius vsus & imitatio quædam est, haud aliter ac imago Cæsarem exprimens, eo ipso Cæsar appellatur.

2. Hoc pacto Clemens Alexandrinus lib. 1. stromatum Theologiam & prudentiam ac scientiam moralem vocat veram dialecticam, hoc est dialecticis præceptis & exemplaribus verè conformem: en eius verba. *Cum sit autem vera dialectica philosophia permixta veritate res considerans facultatesque & potestates examinans, transcendit ad præstantissimam omnium essentiam, & audet etiam ultra progredi ad Deum vniuersum, non rerum mortalium peruiam, sed diuinarum celestiumque scientiam proficiens, quam consequitur etiam in rebus humanis, qui in oratione & rebus agendis versatur proprius vsus. Merito ergo scriptura quoque tales nos esse volens dialecticos, sic hortatur: efficiamini autem probi trapezites, alia quidem reprobandes, quod autem bonum est tenentes. Hæc enim reuera dialectica est prudentia reuera prædita vi diuidendi ea, quæ perspicuntur intelligentia, & purè ac sincerè citra omnem mixtionem ostendendi subiectum eorum quæ sunt: aut facultas quæ versatur in rerum generibus diuidendis descendens, vsque ad ea quæ sunt maximè specialia, præbens vnumquodque eorum quæ sunt, intuendum quale sit.* Hactenus ille. Augustinus etiam lib. 1. aduersus Cresconium à c. 14. vsque ad caput 18. Christum & Paulum eius Apostolum passim vocat dialecticos, propter eius vsum contra Iudæos & gentiles, quibus cum circa fidem & mores disputabant: innuit igitur, talem vsum esse dialecticam: alias quo pacto dialecticos denominaret.

3. Hinc colligo, diuisionem logicæ in vtentem & docentem, prout nuper eam explicui, esse analogicam & impropiam, more illius, quæ diuiditur ens in reale & solius rationis: quemadmodum enim ens solius rationis propriè non est ens solumque tale dicitur, quoniam illud instar entis cogitamus & efficiamus, ita similiter logica vtens strictè non est logica, sed magis actus alicuius alterius scientiæ, nuncupatur tamen logica, quoniam ad huius exemplar instarque eum efformamus. Colligo secundo P. Hurt. nuper citatum in eo falli, quod existimet, cum dicitur alia est logica docens, alia est logica vtens, logicam in priori propositione nominandi casum, & in posteriori auferendi casum fortiri, etenim imago Cæsaris dicitur Cæsar in nominandi casu, propter eius speciem & similitudinem quam effingit: quid est ergo cur logica vtens siue alicuius scientiæ realis actus, non dicitur in nominandi casu logica, propter ea quod huic conformetur. Deinde etiam si actus cuius uis alterius scientiæ possit consignificare logicam in auferendi casu, quoties adicitur hæc vocula, vtens, quæ quidem eum casum regit; ceterum cum

de actu alterius scientiæ sine tali adiectione dicitur logica, hæc non nisi in nominandi casu poni sustinet: a qui de actu alterius scientiæ multoties dicitur logica absolute & non adiecta tali particula, vt ex Clem. & Aug. nuper vidimus, igitur in nominandi casu de eo enuntiabitur, contra quam prædictus author vnquam euenire existimat. Denique ea ratione non tam logica, quam scientia in communi in logicam docentem & vtentem secaretur hunc in modum; scientia alia est logica vtens, siue quæ logica vtitur: at Doctores communiter logicam ipsam in docentem & vtentem dispertuntur.

Rursus secundo Card. Tolet. q. 2. proœm. Sotus ibidem, Iauellus tract. 1. log. cap. 6. alique Thomista, quos sequitur Aueria q. 1. log. in ea sententia sunt, vt arbitrentur, logicam vtentem esse ipsam docentem, quatenus actu secundo dirigit, & regulas suas ad vsum reducit, siue quatenus alia scientiæ eius præsidio & ope comparantur; logicam vero docentem eam esse, quæ tantum dirigit actu primo, atque in sola doctrina sistit, neque ulterius progreditur. Quapropter iuxta hanc opinionem, logica docens & vtens est vna & eadem scientia officiis quidem distincta à semetipsa, non natura; cum tamen iuxta sententiam initio capitis relata, habitus logicæ docentis realiter sit distinctus ab habitu vtentis, & hic natura sua ad physicam v. g. metaphysicam aliamve scientiam realem spectet, ille vero sit huius scientiæ rationalis, quam modo profitemur, & præ manibus habemus. Quamuis autem prior ille modus præsentis diuisionis explicandæ nobis placuerit, haud tamen displicet hic posterior: quæ enim contra opponuntur, nullius sunt momenti: primum ita habet; iuxta posteriorem hunc loquendi modum logica vtens non tam vtens dici deberet, quam vsitata, siue vt ita loquamur vsa: eatenus enim distinguitur quodammodo à docente, quatenus hac alia scientiæ vtuntur, eiusque præcepta & exemplaria imitantur, quo autem aliquis vtitur, id dici solet non vtens, sed vsitatum. Secundum eorum quæ opponi solent, sic habet: cum dialectica docens actu secundo dirigit, eiusque doctrina ad vsum transfertur, ipsa dialectica se ipsa non vtitur, sed potius intellectus ea vtitur: haud secus, ac nos habitibus vtimur quoties eos ad operandum applicamus; cum tamen habitus semetipsis non vtantur: logica igitur iuxta hunc dicendi modum, non tam vtens dicenda, quam vsitata: cum hac de causa: tum etiam ea, quæ nuper est expensa.

Primum horum ita dilues: quanquam alia scientiæ vtantur præceptis logicæ docentis, tamen hæc etiam vtitur obiectis aliarum scientiarum, quatenus ea facit, artificiosè subiici, prædicari, diuidi, definiri, aut demonstrari, alioue modo extrinsecè informari: quid enim communius, quam agens vti passo, quod eius operationi subditur? Secundum eorum quæ obiecta sunt, hunc in modum repelles: quoties logicam applicamus ad alias scientias comparandas, ea quidem vtimur vt quod: ipsa tamen dici potest ac debet vtens vt quo, facit enim vt nos ea sic vtamur. Hoc pacto cum albedo non sit alba vt quod & propriè, dicitur tamen quodammodo alba, quia parietem facit album: eodem ritu cognitio dicitur cognoscens, quia præstat nobis vt propriè cognoscamus, etiam si ipsa vt quod & propriè eam denominationem non suscipiat. Ecce logicam duabus de causis non solum vsitam, sed etiam vtentem dici posse: Balduinus autem q. 7. proœm. eam dicendam esse non vtentem, sed vsitam existimans quid aliud quam difficultati succumbit.

Præterea

6 Præterea tertio B. Thomas 4. met. lect. 4. Fonseca lib. 2. met. cap. 3. q. 1. sect. 6. Conimbr. quest. 4. procem. art. 2. Balthasar Tellez 1. parte sum. in adnotariunculis proemial. putant logicam solummodo vtemem dici posse propter vsum doctrinæ suæ in materia probabili aliarum facultatum: Ratio eorum est, quoniam actus demonstratiui aliarum scientiarum ad ipsas spectant; nulla enim scientia est, quæ, sicut ex demonstrationibus est genita, ita etiam alias similes non generet: at vero actus probabiles non scientiam, sed opinionem pariunt, adeoque à nulla scientia fiunt, & ad nullam attinent, videlicet ratione materiæ in qua versantur: id ergo solum superest, vt ratione formæ syllogistica, quæ in eis elucet, ad aliquam spectent; cum ergo non ad alias scientias extra logicam: nam præter hanc nullam formam syllogisticam edocet; consequens est, vt ex eo titulo reduci debeant ad solam dialecticam: Proinde hæc dicenda est vtens, tantum respectu actuum probabilium aliarum facultatum, quibus artificium syllogisticum ac disserendi formam illudit.

7 Obiici autem consuevit aduersus hanc doctrinam, ex ea fore, vt nimis angustii sint limites aliarum scientiarum, contra vero dialecticæ latissimi: etenim si solam mathematicam excipias, nulla facultas est, quæ non paucis demonstrationibus constet, quæ non innumeris opinionibus scateat: si igitur quidquid est probabile in physica v. g. metaphysica, ethica, aut medicina, ad vnam logicam reducitur; huius termini latius quam par est patebunt, & illarum erunt arctissimi: quorum tamen vtrum magis absurdum, haud facile dixeris. Obiici etiam solet, negandum non esse, quin logica doceat non solum vt probabiliter differere in materia aliarum scientiarum, sed etiam vt demonstrare in ea quivis, si velit, possit: cur ergo vltus demonstrandi non minus quam probabiliter disserendi logicam vtemem denominet? aut, aliis verbis, cur quod sit vtens ab utroque respectu ex æquo non habeat?

8 Hæc obiectiones quamuis non paucos transuersos egerint, haud tamen committere possunt, ne supradicta opinio, & vulgaris diuisionis explicandæ ratio mihi satis probabilis esse videatur. Ad primam dicendum physicam, v. g. bifariam sumi posse; primo nimis latè, quatenus habitus tam opinatiuos, quam demonstratiuos complectitur: atque ad eam ita sumptam omnes eius actus tam probabiles quam euidentes spectant, quin contrarium obtineat aut etiam contendat opposita ratio; ad quam proinde alleuandam vel hoc tantum sufficit. Attamen aliter respondeo, & aio, physicam secundo sumi nimis pressè, quatenus comprehendit solos habitus demonstratiuos, atque ad eam ita sumptam non spectant immediatè conclusiones probabiles: vnde ratione formæ ad solam scientiam rationalem siue logicam immediatè reducendæ sunt, ad aliquam enim scientiam strictissime sumptam possunt & solent reuocari. Caterum eiusmodi actus probabiles mediatè pertinent ad physicam etiam hoc secundo modo vsurpatam, id est mediante dialectica, quæ eius famula est, atque administra, ad hanc verò non nisi nomine illius tanquam principalis possidentis. Hinc fit, haud adeò contrahi terminos physica, adeoque extendi, eos quibus dialectica coercetur: quidquid enim tractatur siue demonstratiue, siue probabiliter in tota physica, quam longè latèque fusa est, id omne ad ipsam saltem mediatè pertinet ac proinde sui iuris est, haud aliter ac domini quæ per seruos ea nihilominus proprio ac pleno iure possident: cur ergo maneat inops physica, cui in saluo est, non solum quod demonstrat, sed etiam ingens doctrinæ probabilis copia? Contra verò dialectica, etiam si libere excurrat in actus omnes probabiles physica & cæterarum facultatum, quia tamen harum non suo nomine eos colit, haud propterea ditior euadet: quo pacto serui diuites non habentur, qui plura dominis, sibi vero nihil administrant. Ad secundam obiectionem dicendum est, eam nemini negotium faceicere posse, nisi qui communem rationem huius sententiæ quam tuemur, superius positam oscitanter inspexerit.

Vltius quartò nonnulli recentiores, inter quos P. Rodericus disp. 3. log. s. 1. volunt, logicam vtemem esse vsum logicæ docentis in sola materia ipsius dialecticæ: quare idem actus dialecticæ erit simul vtens & docens: diuerso tamen respectu; vtens, si spectes regulam dialecticam ab eo distinctam, ex cuius directione & præscripto fit: docens, si alium quemuis actum quem dirigit atque præscribit, v. g. hic actus, *diuisio est oratio totum in suas partes distribuens*, dicitur logica vtens intuitu huius actus, *definitio constat genere & differentia*, ex cuius directione, diuisio ita definitur; item eiusmodi actus dicitur logica docens contemplatione huius diuisionis dialecticæ, *demonstratio alia est à priori, alia à posteriori*, alteriusve similis.

9 Opponi verò solet contra hanc sententiam, diuisionem logicæ in docentem & vtemem recurrere secundum omnes cum ea partitione qua Philoponus & reliqui Græci interpretes logicam in rebus auulsam & rebus concretam dissecant: Idcirco autem logica docens dicitur rebus auulsa, quoniam ad res aliis scientiis subiectas non descendit, sed abstractam quandam & generalem doctrinam duntaxat continet, contra vero logica vtens propterea rebus concreta dicitur, quod scientiis rebusque eis subiectis sese immisceat, & vel sit aliqua alia facultas à logica ab ea tamen directæ, vel sit logica ipsa cum respectu ad aliam quancunque disciplinam, quam actu secundo regit, atque artificiosè componit. Quod si iuxta quartam hanc sententiam logica vtens sit actus aut habitus ipsius logicæ docentis, non vero alterius facultatis, non appareat, cur magis logica docens, sit rebus auulsa, quam logica vtens, aut hæc è contrario magis concreta rebus quam illa.

10 Fateor multò facilius explicari, quatenus logica docens sit rebus auulsa, & vtens rebus concreta, iuxta tres primas sententias hætenus positas, aliisque etiam tres à nobis inferius proponendas, quam secundum opinionem Roderici & recentiorum. Cæterum iuxta hanc etiam potest non male exponi ea res, seu potius locutio. Nam quemadmodum, cum dicitur intellectus fieri extensione practicus, eiusmodi extensio ita à plerisque explicari solet, vt non semper extrahat intellectum ultra proprios actus, sic enim hi non forent praxes; ita similiter cum dicitur logica rebus concreta, siue ad eas extensa & conuersa, id non ita intelligendum est, quasi propterea materiam propriam transilire debeat & extra eius limites ferri. Quinimo etiam si intra se fistat, nec vltius progrediatur, locus tamen est, vt modo sit rebus auulsa, modo vero rebus concreta, & ad eas extensa, adeoque docens & vtens.

11 Quintò dici potest, vulgarem illam diuisionem logicæ in vtemem & docentem esse reipsa eam cuius meminit Auerroës l. 2. metaph. cap. 3. qua videlicet logica secatur in vniuersalem & particularem: Logica vniuersalis siue docens est, quæ præcipit in

F
communi

communi, hoc modo, definitio constat genere & differentia, diuisio est oratio totum in suas partes distribuens, demonstratio in Barbara, constat tribus propositionibus vniuersalibus affirmatiuis &c. logica particularis siue vtens est quæ in singulari præcipit hoc pacto: si eliciatur hic actus, homo est animal rationale, erit definitio constans genere & differentia; si hic, ens aliud substantia, aliud accidens, erit diuisio; si hic, omne rationale est risibile, omnis homo est rationalis, omnis igitur est risibilis erit demonstratio Barbarica. Ratio autem huius opinionis est; quoniam doctrina plerumque est circa vniuersalia, actio vero & vsus circa singulalia; merito igitur logicam docentem cum vniuersali & vtentem cum singulari eandem esse arbitramur. Rursus hoc modo optime intelligitur, vt logica docens sit rebus auulsa, ad eas enim quæ subieciuntur aliis scientiis non descendit, vniuersalibus præceptis contenta: nec non etiam vt logica vtens sit rebus concreta, quippe quæ res aliis facultatibus subiectas particulatim considerat.

13

Sexto dici potest, logicam docentem esse quæ definitionem. v. g. diuisionem, argumentationem, aut quamuis cognitionem artificiosam non factam sed faciendam cognoscit, eiusque faciendæ modum in communi aut singulari præcibit: exempla numero præcedenti tradita sunt non pauca: contra vero logicam vtentem esse quæ opus suum non faciendum sed factum atque existens cognoscit, idque regulis suis conforme esse disputat; veluti sit hominem bene definire aut definisse affirmes, hunc in modum, actus iste homo est animal rationale quem elicui, aut elicium conseruo, est bona definitio. Ratio autem huius sententiæ est, quoniam vt Platonis in Lachete etiam verbis vtat; *Mihi sanè videtur, quorumcumque scientia aliqua est, non aliam scientiam esse præteritorum vt facta sunt aliam præsentium vt sunt, aliam futurorum, vt optime fieri possunt, sed eiusdem scientiæ opus esse, hæc omnia nosse. Quemadmodum circa sanum & salubre, non alia scientia, sed una medicina prospicit quæ sunt, quæ facta sunt, quæ fient, quo pacto fiant: & circa illa quæ terra nascuntur agricultura similiter se habet.* Hæc ille, hæc etiam ego; cum igitur dialecticæ proprium sit facere definitionem, diuisionem & argumentationem in quavis materia, atque ad eas intellectum instruere ac dirigere; sanè cognitio quæ ea expenduntur iam facta & existentes, ad eam etiam pertinebit, quidni igitur logica appellari possit docens, quatenus in communi aut particulari præcipit, vtens verò, quatenus præcepta sua ad executionem & vsum redacta considerat. Et quidem priori modo est à rebus auulsa, id est ab illarum existentia præscindit, eamque non affirmat, posteriori vero modo est rebus concreta, videlicet etiam quoad earum existentiam, cum qua sponte sua est coniuncta, & quam suapte natura representat.

14

Denique octauo recolendum est, quod superius statuimus tractatu. c. 3. & 4. dialecticam considerare, tum res ipsas secundum prædicamentalem constitutionem earumque physicum esse, cum etiam actus intellectus & voces quibus significantur; quatenus ergo est circa interiora aut exteriora signa vocari potest docens, docet enim (& hæc potior eius cura est) modum quo illa fieri interiusve aut exterius proferri debeant, sic, vt eorum præsidio veritatem assequi possimus quatenus autem secundo est circa res, dici potest vtens, quoniam non docet, quomodo res in esse physico sint efficiendæ, sed tantum eis vtitur, veluti materia necessaria ad defi-

niendum, diuidendum, & argumentandum, earumque notitiam aliquam tradit, quia nisi illis cognitis actus intellectus & voces, quibus subsunt, ægre possunt comprehendi. Quamuis autem dialectica de rebus aliqua doceat speculatiue, quia tamen in præsentiarum de doctrina practica potissimum sermo est, quippe quæ, vt dixi, primas sibi partes in dialectica vendicat, idcirco ea respectu rerum censenda non est docens, sed solum vtens, vti exposuimus. Quod si logica docens, non res, sed solos actus & voces considerat, contra vero vtens solas res non actus intellectus aut voces, quid mirum si hæc rebus concreta, illa rebus auulsa dicatur? Tot modis cum defendi & explicari possit vulgaris illa diuisio, miror aliquos esse, qui eam negent, miror quoque alios singulis eius explicandæ modis, vno aliquo excepto impugnandis summo opere intentos; quasi vero omnes & singuli facillè nequeant conciliari, quantumlibet differant: quid enim vetat, earundem vocum logicæ vtentis & docentis non eundem, sed multiplicem sensum esse?

15

Ad extremum quæres, an quemadmodum dialectica est docens & vtens, ita etiam aliæ facultates practicae similem geminationem subeant & in docentes & vtentes tribui possint? Negant quidam graues recentiores, nec ferunt hanc veluti prærogatiuam logicæ deperire: Ego vero contrarium arbitror longe verisimilius, illudque probo, in primis ex Platone, cuius hæc sunt verba in Philebo, *Audacter importunis disputatoribus respondeamus, duas arithmeticas esse, ac duas metiendi artes, aliasque facultates harum comites, plurimas, geminationem habentes huiusmodi, & in nomine vno communicantes.* Rursus in Euthidemo sic ait: *Permultum igitur inter lyrarum fabros interest, & scientiam pulsandæ lyre assuetos: alia enim ars quæ facit, alia quæ vtitur his rebus; nam ars quæ fabricat lyram, & quæ lyram pulsat, longe inter se differunt: & mox infra constat similiter & circa orationes aliam esse artem, quæ condit, aliam quæ conditis vtitur.* Hactenus Plato, quem alij sequuntur, præsertim vero Fonseca superius citatus his verbis; *sed & Rhetorica quæ à plerisque non censetur demonstratiua eodem modo consideratur. Quatenus enim tradit præcepta dicendi, docens est, & à rebus auulsa; quæ vero ratione iis vtitur, vtens, & rebus concreta appellari potest.* Consonant Conimbricenses; initio enim articuli secundi supra relati, quatenus dialectica sit docens & vtens, aliarum facultatum exemplo declarant.

16

Idipsum ratione suadet: nam logica est docens, quatenus imperat actus aliarum scientiarum; hi vero prout imperati & exerciti logicæ vtentis appellationem subeunt; aliis verbis; logica dicitur docens & vtens, quoniam eius doctrina est vsui aliis scientiis, omnesque ea vtuntur. Atqui etiam prudentia, ethica, medicina, rhetorica, grammatica, & reliquæ ingenuæ, ac mechanicæ similiter habent actus imperantes & imperatos, aliæque aliarum præceptis aut instrumentis vtuntur: quidni ergo talem geminationem habeant. Quare prudentia docens erit imperium eius proprium, opus autem cuiusque alterius virtutis ab ea imperatum & ex eius directione factum, erit prudentia vtens: similiter medicina docens erit eius imperium, quo decernit, seu iudicat, tale medicamentum adhibendum esse ad alicuius morbi depulsionem; applicatio autem eius medicaminis erit medicina vtens; grammatica etiam docens est eius imperium seu iudicium, quo statuit, quæ ratione partes orationis, nimirum voces, sint aptè construendæ & collocandæ; vocum autem constructio & recta

recta syntaxis in quavis alia scientia erit grammatica vtens : eodem modo fr̄anofactoria docens est, quæ instrumenta equitandi parat, quæstris vero quæ eis vtitur erit fr̄anofactoria vtens; non aliter ac logica docet prout instrumentaria respectu aliarum scientiarum, hæc vero sunt logica vtens, propter id quod instrumentis à dialectica traditis vtuntur. Par est ratio aliarum facultatum, quæ operi incumbunt.

17 Præterea, vt alios dicendi & vtendi modos percuramus, neque enim aliquibus præ aliis astringi volumus, aliæ facultates modo docent tantum, modo vero doctrinam suam ad vsum & exercitium reducunt, actumque secundo operantur: deinde iam in communi, iam vero in particulari præcipiunt: aliquando etiam rem faciendam præcipiunt, aliquando factam considerant; denique tam materiam infectibilem, quam formam artificiosam factioni obnoxiam intuentur: si igitur hæc de causis, logica docens & vtens est; quidni etiam similem diuisionem aliæ quæcunque facultates postulent? Quod autem logica perfectius aut fufius sese immisceat rebus & obiectis aliarum facultatum, quam quæuis harum si cum reliquis conferatur; quæ recentioribus hallucinandi fuit occasio; id nec fortassis est omnino verum, vt facile esset ostendere, nec si verum sit quicquam interest. Etenim diuersimodè etiam pars demonstratiua logicæ, & pars eius topica siue opinatiua procedunt, aliæque sunt vnus, & alia alterius præcepta: atqui iuxta ipsos aduersarios, vtralibet diuiditur in vtentem & docentem: quamuis ergo logica aliter quam quæuis alia facultas per ceterarum expatiatur obiecta, nihilominus haud magis illa quam alia quæcunque disciplina docentis & vtentis rationem obtinebit. Adhæc sicut logica dissecatur in practicam & speculatiuam, ita etiam medicina. v. g. & ethica: atqui longe aliter speculatur & practicè cognoscit, dialectica, quam ambæ illæ, latius videlicet, & si aduersariis credas, perfectius: similiter ergo vltus & doctrina, tametsi aliter logica & aliis scientiis, absolute tamen vtrisque conuenient: Hinc colliges, quo iure aliqui communem diuisionem logicæ docentis & vtentis negent, propterea quod nequeant aliæ facultates ita distribui.

C A P V T II.

An, aut quatenus dialectica instar sapientia, prudentia, intellectus, opinio, suspicio, artis, scientia obiectum suum representet?

18 Ostendemus in Metaph. lib. 6. tract. 5. cap. 1. septem præfatis modis contingere, vt facultas aliqua obiectum suum representet: Vt autem totam doctrinam ibi generatim tradendam dialecticæ nostræ adhibeamus, hoc in primis velut exploratum supponimus, eam esse sapientiam improprie sumptam, secus vero, si illa proprie accipitur. Posterius hoc suadet, quoniam dialectica rerum humanarum, ac diuinarum per altissimas causas cognitio neutiquam est, quæ tamen perfectio ad propriam rationem sapientiæ omnium calculo requiritur. Prius autem probat haud difficilis: si quidem quæuis ars etiam mechanica, si cuiquam insit, omnibus suis numeris absoluta, & artificem sapientem, &, quod consequens est, se sapientiam denominat, veluti cum Polycletem sapientem statuarium, & Phydiam

P. R. Lyncei Philosophie Tom. I.

sapientem lapidum sculptorem appellamus. Ad hanc duplicem sapientiam, alteram improprie & secundum quid, alteram verò simpliciter & proprie talem respexit Homerus, cum de quodam, vt refert Arist. 6. ethic. lect. 5. sic dixit.

Diuum is munere, nec fossor, nec durus arator,

Nec sapiens alia vlla nimirum extitit arte.

Quasi diceret, talem non habuisse infimam, & metaphoricam quandam sapientiam in alicuius artis perfectione sitam, sed propriam & supremam, quæ res diuinas & humanas per altissimas causas allequitur. Secundo etiam id supponimus, dialecticam non esse prudentiam strictè sumptam: nullam enim honestatem moralem procurat: ceterum esse latam quandam & metaphoricam prudentiam: hæc enim interdum abstrahit ab honestate morali, vt cum dicimus aliquem esse iurisperitentem, aut prudentiam militari præditum: quin etiam aliquando significat quiddam contrarium honestati morali, vt videre est apud Iuuenalem Satyra tertia.

Quia quod adulandi gens prudentissima laudat,

Sermonem indocti, faciem deformis amici.

Adde quod logicam esse prudentiam latè sumptam doceat B. Thom. 2. 2. quæst. 48. art. vnico Si vero prudentia sumatur large, secundum quod includit scientiam etiam speculatiuam vt supradictum est, tunc etiam eius partes ponuntur, dialectica, rhetorica, & physica. Hactenus ille; quo autem sensu logicam dicat speculatiuam infra cap. 6. constabit.

Rursus tertio præmitimus cum Auerſa quæst. 1. log. f. 5. dialecticam esse intellectum strictè sumptum: hic enim est euidentis notitia principiorum; dialecticæ autem principia esse euidentia tam certum est, quam quod ea euidentibus conclusionibus constet, si non omni at magna sui parte. Item quarto eam esse opinionem supponimus cum Themist. 1. post. cap. 24. & Lemosio lib. 1. paradox. dial. errore 2. plurima enim dumtaxat probabiliter colligit, vt testis est tot sententiarum varietas, quæ ab aliis, aliisque authoribus traditur. Deinde quinto eam aliquando subdubitanter procedere, & nonnullam suspensionis habere, constat inde; quod in eius materia aliqui dialectici quædam in ambiguo relinquunt, neutramque contradictionis partem ausint affirmare. Sexto etiam id supponimus, dialecticam esse artem: tum quia numeratur inter septem artes liberales sequentibus versiculis comprehensas.

Artibus ingenius famam, laudemque merentur,

Grammaticus, Rhetor, dialecticus, & Geometra;

Musicus, Astrologus, numeros summas querens.

Tum etiam quia vt dialecticæ applicem, quod de rhetorica dixit Fabius 1. 2. cap. 16. Quis est adeo non ab eruditione modo, sed à sensu remorus hominis, vt fabricandi quidem, & texendi, & è luto vasa ducendi artem putet, dialecticam autem, maximum ac pulcherrimum opus in tam sublime fastigium existimet sine arte remisse: atqui eiuscemodi facultates mechanicas, aliasque similes, nihilominus artes esse constat ex septemplici artium seruilium diuisione, proximis versiculis clausa.

Seruiles tractant artes quæsumque sequuntur

Agricola, & Miles, Chirurgus, Nauita, Textor,

Et faber, & Venans, cælo terraque, marique.

Aduerte autem hæc septem postrema nomina valde generatim accipienda esse: ita enim nulla erit ars mechanica, quæ sub illis non comprehendatur.

Vltius, quia etiam si ars, prout significat facultatem operationi alicui externæ sibi postea superstiti incumbentem, dialecticæ nostræ non conueniat; ceterum, ars latius aliquando funditur, & om-

F 2 nem